



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*CONSTAT CATHOLICOS*BEATA MARIA VIRGO TITULO
«NOSSA SENHORA DA NATIVIDADE» INVOCATA,
PATRONA PRINCIPALIS ET SANCTUS DOMINICUS «DE GUSMAO», PRESBYTER,
PATRONUS SECUNDARIUS APUD DEUM NOVI STATUS TOCANTINENSIS
IN BRASILIA CONFIRMATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Constat catholicos fideles dioecesium Portus Nationalis,
Miracemanae Tocantinensis, Tocantinopolitanae et Praelaturae Cristallandienseis, qui novum Statum «Tocantins»
nuncupatum in Brasilia incolunt, Beatam Mariam Virginem titulo «Nossa Senhora da Natividade» atque Sanctum
Dominicum «De Gusmao» presbyterum, peculiari cultu prosequi tamquam clarissima exempla fidei, spei, caritatis ac
sanctitatis vitae. Qua de causa Venerabilis Frater Celsus Pereira de Almeida, Episcopus Portus Nationalis, una cum
Praesulibus reliquarum dioecesium et Praelato Cristallandiensi, communia cleri populique vota excipiens, electionem
Deiparae Virginis memorato titulo invocatae in Patronam principalem et Sancti Dominici, de quo diximus, in Patronum
secundarium apud Deum novi Status Tocantinensis rite probavit atque, litteris die XIV mensis Martii hoc anno datis,
petivit ut huiusmodi electio et approbatio iuxta normas de Patronis constituendis et ad normam Instructionis «de
Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede
confirmarentur. Nos igitur, cupientes audire preces eorundem Pastorum, comprobatis iis, quae Congregatio de Cultu
Divino et Disciplina Sacramentorum, factis a Nobis facultatibus, hac in re egit, Apostolica Nostra potestate, harum
Litterarum virtute perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem titulo «Nossa Senhora da Natividade» invocatam
Patronam principalem et Sanctum Dominicum «De Gusmao», presbyterum, Patronum secundarium apud Deum novi
Status Tocantinensis in Brasilia confirmamus, omnibus datis iuribus ac liturgicis privilegiis iuxta rubricas consequentibus.
Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIX mensis Maii, anno MCMXCII, Pontificatus Nostri quarto
decimo.*ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1992 - Libreria Editrice Vaticana
